



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Comitvm Par Genere, Potentia, Opibvs, Heroicaq. Virtvte
inclytum B. Godefridus, Vuestphalus, S. Romaricus,
Austrasius**

Serarius, Nikolaus

Mogvntiæ

Cap. I. Incipit vita eiusdem. De comitatu eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37252

4 GODEFRIDI COMITIS

Conabimur itaque de hoc Sancto aliqua locuturi, & gratas compendij metas non excedere, & ea quæ sub oculis fratrum nostrorum acta vel dicta sunt, piis ac timoratis auribus explanare.

CAP. I.

Incipit vita eiusdem.

De comitatu eius.

Temporibus gloriosi Henrici, qui huius nominis quintus Romanum administravit imperium, fuit in V Westphaliæ provincia electus ac dilectus Dei GODEFRIDVS, qui nobilissimis ac regiæ stirpis ortus parentibus, in timore Domini, Comitatus agebat officium, pater eius Godefridus, mater Beatrix dicebatur. Hic vero reuerendissimus atque inter Dei amicos computari dignissimus, auum habuit Hermannum Comitem, qui vt maiorum celeberrima relatione cognouimus, cum esset elemo-

Parentes Comitis God.

synator

V I T A. §

synator præcipuus, misericordiæ o-
peribus intentus, à tumultu militaris
insolentiæ quietissimus, adhuc vi-
uens huiusmodi miraculum opera-
tus est.

C A P. II.

De cæco illuminato.

C O E C U S quidam in illius degebat
eleemosyna, qui die quadam o-
stentum sibi diuinitus asserebat,
quod visum recepturus esset, si a-
quam, de qua manus Comes ablu-
erat, oculis admouisset. Aquam igitur
tulit, oculis adhibuit, protinus vidit.
Ad sepulchrum vero eius hodieque
nonnulla ostensarum virtutum de-
monstrantur indicia, quæ oculis me-
is vidi, quæque illic in testimonium
reliquerunt hi, qui sanitate recupe-
rata sospites inde reuersi sunt. Huius
itaque tanti viri nepos G O D E F R I -
D V S noster, ab ipsis iam adolescen-
tiæ primordiis cœpit Deo deuotus

*Auus
Comitis
Godefr.
admod.
pius.*